



Clerus Sæcularis Et Regularis

Seu Decretalium Gregorij IX. Pont. Max. Liber III ; Brevi Methodo ad dissentium utilitatem expositus, In quo præcipuæ circa Materiam hujus Libri tertij, quæ tum in Theoria, tum in Praxi occurunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & hororum solutionibus

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

VD18 13510800-001

§. I. De Origine, Natura & Varietate Feudi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75021](#)

cum Beneficio Titij.¹ In hoc casu dico, si Superior hanc permutationem admittat, & Beneficium Titij Sempronio conferat, collationem fore invalidam. Ita contra Rebuff, prax. p. 3. tit. de permut. n. 14. docet Gomez ad Reg. Cancell. de infirm. q. 19. Lef. l. 2. c. 34. n. 280. 1. quia tales permutationes januam multis fraudibus aperunt. 2.

quia facta sic permutatio non est permutatio, & cons. nullam vim habet. 3. quia collatio in hac permutatione est per errorem, & fraudem extorta. Negue refert, quod error hic sit circa aliquod extrinsecum; nam etiam talis error, quando est causa Contractus, vel alicuius dispositionis, reddit illam irritam, vel certe in irritum revocabilem.

TITULUS XX.

De Feudis.

Alienationibus rerum Ecclesiasticarum, quæ Jure prohibita sunt, accensetur etiam Infeudatio illarum; quia licet per

eam non transferatur dominium directum, & plenum, ut fit Permutatione transferatur tamen utile ab Ecclesia in Vasallum.

S. I.

De Origine, Natura, & Varietate Feudi.

SUMMARIUM.

1. *Origo Feudorum.*
2. *An Consuetudines feudales vim Juris habeant?*
3. *Defenditur Affinitativa.*
4. *Quoad Capitula ordinaria tantum, non extraordinaria.*
5. *Respondetur ad opposita.*
6. *Jus feudale unum est commune, alterum particulare.*
7. *Istud communis derogat.*
8. *Definitio feudi?*
9. *IO. II. Ejusdem essentialia.*
10. *Est species Contractus: ubi que sit obligatio Domini directi?*
11. *Vassalus ex eo Contractu obligatur primò ad fidelitatem.*
12. *Secundò ad obsequia personalia.*
13. *Terziò ad curam rei feudalis, & quartò si mutatio fiat, ad petendam renovationem Investiturae.*
14. *Contractus Feudalis est consensualis.*
15. *Nominatus.*
16. *Bona fidei.*
17. *In quibus Feudum conveniat cum Empyteusi?*
18. *In quibus ab eadem differat?*
21. *In quibus ab Usufructu?*
22. *Et alijs Contractibus?*
23. *Dividitur Feudum primò in Proprium, & Improprium.*
24. *Secundo in Nobile, & Non nobile.*
25. *Nobile aliud est Regale, & Non Regale.*
26. *Tertiò in Novum, & Vetus.*
27. *Discrimen inter hæc duo.*
28. *Potest conferri Feudum novum cum jure Feudi antiqui.*
29. *Quartò in Ligium.*
30. *Et non Ligium.*
31. *Hujus species est Feudum Francum.*
32. *Quintò in Ecclesiasticum, & Sacerdotiale.*
33. *Quando tale esse censetur?*
34. *Privilegia Feudi Ecclesiastici.*
35. *Sextò in Masculinum, & Fœmininum.*
36. *Addunt aliqui Mixtum ex utroque.*
37. *Septimò in Hæreditarium Gentilitium, & Mixtum.*
38. *In dubio præsumitur potius esse Gentilitium.*
39. *Ottavo in perpetuum, & Temporale.*
40. *Nonò in Feudum Cameræ, Cavenæ, & solidae.*
41. *Aliæ Feudorum Species.*

Queritur 1. quæ sit Origo Feudorum? 2. et si umbram quandam Feudorum sit invenire apud antiquos Romanos, magis tamen receptum apud DD. est, ea originem suam Longobardis debere, qui ex Germanis orti, Italiam sub Imperatore Justino II. ingressi sunt, & occupatâ nobilissimâ ejus parte, Regnum Longobardia constituerunt, diuque obtinuerunt; nam cum bella quotidie vel ab Italis vicinis, vel à Græcis ex Thracia, vel aliunde timerent, agros inter milites capitatum diviserunt pro cuiusque virtute, quos dein Feuda appellârunt, desumpto

nomine vel à Fœdere, aut potius Fide, & Fidelitate Latinis vocibus, vel à Fede, & Feida vocibus Germanis, & Francis. Originem istam non obscurè indicant Libri Confuerdinum Feudalium, in quibus sepius fit mentio Longobardorum, & Legum Longobardicarum, ut videre est lib. 1. feud. tit. 10. lib. 2. tit. 1. & 58. Fachin. l. 7. contr. c. 1. Harpprecht in Annot. ad Jul. clar. §. feudum q. 1. n. 11. Haun. tom. 3. de J. & J. tr. 9. n. 581. Magnif. D. Christoph. de Chlingen-sperg in LL. Feud. c. 1. q. 1. Engl. hic n. 2. König. num. 19.

Dub. 1. quam authoritatem, & vim
Aaa

vim habeant Consuetudines Feudales? Fuerunt olim, qui cum Hoft. de Immunit. *Eccles.* Libris Consuetudinum Feudalium omnem denegarunt authoritatem; tum quod majori ex parte complectantur Decisiones Gerardi Nigri, & Oberti de Otto, qui Consules Mediolanenses fuerunt, & Legis condendae potestarem non habuerunt; tum quod Consuetudines illae sint particulares Italorum, praesertim Mediolanenum, adeoque Legibus Romaniae nihil præjudicare, nec in foro Romano obligare possint.

Sed dicendum Libros feudales esse Authenticos, & in Imperio vim Juris habere, non quidem scripti, sed quod non content expresso Legislatoris consensu, quæ natura est Juris scripti; sed consuetudinarij, quæ moribus, & usu in Imperio recepti, ab Imperatoribus, ac Princibus tacite approbati, & pro talibus jam à Saeculo decimo quinto sunt habitu, ut censerentur digni, qui & in Academijs prælegerentur publicè, & in causis Feudalibus Legis instar allegarentur. Constat autem, consuetudinem, quæ judicio populi recepta, & frequenter in eodem controversiarum genere servata est, pro Lege custodiendam *l. de quibus 32 ff. de Legib. & l. preses 1. C. que sit long. consuet.* ut adeo Libris istis nihil desit, quin pro Lege sint observandi. Clar. *§. feudum q. 3.* Zal. *Epitom. de feud. prin. Duaren. in Consuet. feud. c. 1.* Vultejus *de feud. l. 1. c. 1. n. 6.* Fachin. *l. 7. contr. c. 2.* Struv. *Synt. Jur. Feud. c. 1. th. 7. n. 4.* Harppr. *ad Clar. l. cit.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *c. 1. cit. q. 3.* Engl bic *n. 1. ¶ ipsum porro,* König *n. 20. ibid.*

Intelligendum autem hoc solum est de Capitibus Ordinarijs, quæ occurunt in *Libr. 1. §. 2. feud.* usque ad *Titulum 58. inclusus;* nam ut bene advertit König *bic num. 13. ¶ plani. Capita extraordinaria, quæ operat Cujacij.* & aliorum adjecta sunt, dubiae sunt authoritatis, cum non perinde, ac priora, sunt usu recepta. Hinc quotiescum Capitibus Ordinarijs conveniunt, vel ad Ordinariorum explicationem faciunt, vel causum in Ordinarijs non decimus continent, allegari possunt; non verò, sijsdem contrariantur. Hunn. *Dsp. Feud. 1. th. 54. & 55.* Hartman. *Pistor. l. 2. q. 15. n. 43. & q. 13. n. 59.* Stryck. *Exam. Jur. feud. c. 1. q. 22.* Struv. *th. 7. cit. n. 10.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *c. 1. cit. q. 5.* König *l. cit.* Excipliuntur Constitutiones quædam Imperioria, quæ identidem interferuntur; nam hæ vim Juris habent, & quidem scripti, ubi contrario usu, vel non usu non sunt abrogatae.

Ad Argumenta contraria facilis est Responso. Ad 1. imprimis Duar. *c. 1. cit. n. 4.* cum Wilhelmo Ludwello negat duos relatos Consules Librorum feudalium autores fuisse: & esto, fuerint, adhuc tamen

vim Juris consuetudinarij potuerunt accipere, dum usu populi, & approbatione tacite Legislatorum recepti sunt. Argumentum retorqueri potest in quavis consuetudine; nam privatorum communiter est, & tamen, accidente consensu Legali Principis, vim Legis obtinet. Ad 2. Consuetudines istæ, quandiu Italorum tantum fuere, Jus particulare constituebant Italos; postquam vero communi Imperij usu receptæ sunt, facta sunt, Juris communis.

Dub. 2. quotuplex sit Jus feudale; *n. 6 duplex* est, commune, & particolare. *Commune est,* quod Corpori Juris communis annexum est, & in toto Romano Germanico Imperio observatur, *gemeine Lehren-Recht.* *Particulare est,* quod in hac vel illa Provincia specialiter constitutum est, ut pro Saxonia Jus Feudale Saxonum, pro Bavaria Jus feudale Bavanicum. Struv. *Synt. Jur. feud. c. 1. aphor. 6.* Georg. Henr. Bruckner *Dsp. de Curios. feud. tb. 9.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *c. 1. de feud. q. 7.*

Vis Juris feudalis particularis hæc est, ut Juri feudali communi deroget: *conf. hoc præcipue spectandum in decisione causarum feudalium est,* & ubi id deficit, tum primum recurrendum ad Jus feudale commune. Rosenthal. *de feud. c. 1. concl. 15.* Si aliud sit Jus feudale in loco, ubi situm est feudum, & aliud in loco, ubi contractus feudalis est celebratus, in ijs, quæ ipsam rem feudalem concernunt, observandum est jus loci, ubi res sita est; in ijs contra, quæ Contractum feudale spectant, attendi debet Jus loci, ubi Contractus est initus. Estque hoc verum, eti utroque casu in Curia Domini aliud Jus vigeat, nisi specialiter statutum, vel consuetudine introductum sit, ut idem Jus, quod in Curia Domini vigeat, in omnibus feudi, & Contractibus feudalibus sit observandum. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *l. cit. q. 8.* & apud hunc Struvius *Synt. Jur. feud. c. 1. aphor. 12.* Rosenthal *c. 1. cit. concl. 14. per totam.*

Queritur 2. quid sit Feudum? *R. Feudi nomen tripl. citer sumitur.* 1. *objectione*, pro ipsa re, qua in feudum datur, Germanie *Lehen = Gut*: in hoc sensu dicitur feudum mutari, alienari, oppignorari, contradistinguitur ab *Allodio*, seu *Bonis Allodialibus*, quæ omnimodo proprietatis iure spectant ad possessorem, vulgo frey eigne *Güter*. *Libr. 2. feud. tit. 17. 26. & 54. 2. effiective* pro Jure feudali, quod à Domino in suis rebus à Vasallo conceditur cum obligatione fidei, & obsequij, *ein Lehens-Gerechtigkeit* *libr. 1. feud. tit. 25. §. 1. & libr. 2. feud. tit. 1. §. ult. tit. 23. tit. 26. §. 1. tit. 55. §. 1.* 2. *formaliter* pro ipso negotio, seu actu, quo jus feudi, contractu feudal interventione, inter Dominum, & Vasallum constituitur, *Lehens-Contract, Lehens-Geding* *Libr. 1. feud. tit. 28. & libr. 2. tit. 20.* *Et in hac tertia*

tertia acceptione definitur Feudum, quod sit Benevolia, libera, ac perpetua concessio rei immobili, aut ei aequivalentis, quod istius dominium utile, proprietate retenta, sub obligacione fidelitatis, & servitij, seu obsequi personali exhibendi transferatur. Ita Clar. S. feudum q. 4. Zaf. in Epitom. feudal. p. 1. n. 3. Rosenthal tr. de feud. c. 1. concl. 3. n. 1. Less. l. 2. de Just. c. 24. n. 5. Pirk. hic n. 1. Engl n. 2. Wiest. n. 1. Is, qui rem aliquam in Feudum concedit, dicitur Dominus vel simpliciter, vel cum addito Directus, vulgo der Lehens = Herr; ille autem, cui conceditur, Vasillus, seu Feudatarius, vulgo der Lehens=Leager/Lehennmann.

Dub. 1. quænam pertineant ad substantiam Feudi? R. Hæc Definitio data indicat; nam 1. debet esse concessio benevolia, & libera; quia est, & vocatur Beneficium libr. 2. Feud. tit. 23. & alibi: hinc à domino ordinariè gratis, & non pro pretio concedi solet. Quodsi aliquando pro eo pecunia exhibetur, ex parte deficit à natura Feudi, & accedit ad Emphyteusin, quamvis etiam eo casu, quia pretium à valore feudi multum exceditur, simpliciter adhuc sit Feudum, cum per ejusmodi admodum exile pretium non cesset esse beneficium. Rosenthal c. 1. cit. concl. 3. n. 3. Less. c. 24. cit. n. 3. Haun. tom. 3. tr. 9. n. 585. Engl hic n. 2. & dico 1. Pirk. Wiest. l. cit.

2. Debet esse concessio perpetua; quia Feudum regulariter extenditur ad descendentes, & hæredes masculos omnes illius, à quo acquisitum est libr. 1. Feud. tit. 1. S. 4. & si ad certum duntaxat tempus concedatur, à natura Feudi propria recedit. Zaf. Epitom. Feud. p. 12. n. 4. & seqq. Pirk. hic n. 1. Wiest. n. 2.

3. Debet Feudum constitui in re immobili, vel que huic equipollit: quales sunt res tum incorporeas, tum corporales, quæ naturaliter mobiles, sed civiliter immobiles sunt, ut est Camera Principis, in qua Feudum de cavena cum obligatione quotannis praestandi certam pecunia sumam recte constituitur. Ita expressè statutum est l. 2. Feud. tit. 1. S. sciendum, & docent Zaf. Epitom. Feud. p. 4. n. 21. Schrader. de feud. p. 2. c. 2. n. 9. Struv. de feud. c. 6. apor. 1. Horn. Jurispr. Feud. c. 7. num. 1. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg de feud. c. 4. n. 1. Clariss. P. Schmier c. 2. de Paed. & contract. n. 459. Ratio est, quia Feudum sic constitui debet, ut proprietas maneat penes concessionem, & dominium utile transeat in accipientem, ut patet ex definitione data n. 8. atque ita res mobilis concedi non potest; quia in his dominium directum ab utili separari non potest, ita, ut illud maneat penes dantem, istud transeat in accipientem, quippe cum res mobiles vel usu consumantur, vel si serventur, nullam utilitatem praestent illi, cui concessæ sunt.

4. Debet in feudo dominium directum, seu proprietatis manere penes dominum feudi, utile transire in Feudatarium, ut constat ex l. 2. Feud. tit. 23. in fin. Neque obstat, quod ibidem dicitur solus Ususfructus transire; quia, ut bene Clariss. P. Schmier l. cit. hum. 464. cum alijs notat, in eo textu non intelligitur Ususfructus formalis, qui specient servitutis habet l. recte dictum 25. pr. ff. de V. s. seu causalis, qui cum utili domino conjunctus est arg. l. ususfructus 4. ff. de Usufr.

5. Ratione feudi Vasillus domino obligatur ad fidelitatem: quæ obligatio ita essentialis est feudo, ut etiæ juramentum fidelitatis remitti Vasallo possit, hæc obligatio tamen remitti nequeat, & irritum sit pactum, quo convenitur, ne pro feudo ad fidelitatem domino exhibendam Vasillus sit obligatus. Schrader. c. 2. cit. à n. 25. Engl hic n. 4. P. Schmier n. 465. & 466.

6. Præter fidelitatem Vasillus Domino in feudo proprio debet exhibere servitia, seu obsequia personalia. Quænam verò talia sint, principaliter ad pacta, & conventiones, item ad speciales locorum consuetudines est attendendum. Engl hic n. 5.

Dub. 2. an feudum sit species quædam? Contractus? R. affirmative: & quidem reciprocus; quia obligationem ultra, citroque ex consensu inducit. Dominus Directus vi istius Contractus obligatur 1. ut Vasallo conferat Investituram in re feudali: quæ duplex est, propria, quæ Vasillus realiter, & corporaliter in Feudi possessionem introducitur; & impropria, quæ eandem possessionem consequtitur per traditionem Symboli, e. g. Sceptri, quo modo investiuntur Ecclesiastici, aut Vexilli, per quod investiuntur seculares. 2. ut damnum, quod ex dilatatione Investiturae Vasillus sustinuit, resarciat l. 2. Feud. tit. 7. in fin. 3. ut auxilium, & consilium Vasallo præstet, similiisque caveat, ne eidem, vel ejus rebus vis interatur, aut periculum struatur &c. l. 2. Feud. c. 6. & dominus quoque. Quæ omnia ut consequatur Vasillus, datur eidem contra Dominum, & hæredes actio personalis, quam Vult. de feud. l. 2. c. 1. n. 12. vocat Conditionem ex moribus, & ut idem ex Bartolo n. 13. notat, cum nascatur ex Contractu nominato, nomine ex Contractu mutuato, appellari posset Actio feudalis.

7. Vasillus ex Contractu feudal obligatur 1. ad fidelitatem Domino exhibendam, quæ in eo consistit, ut eundem, & personas ipsi proximè conjunctas in vita, honore, & bonis defendat, ac damna exinde timenda, quantum poterit, avertat l. 2. Feud. c. 5. 6. & 7. Et procedit hoc adversum quemcumque alium: ubi tamen excipitur Imperator, vel Rex Romanorum l. 2. Feud. c. 55. in fin. Pontifex tanquam Pater & Superior universalis Ecclesiæ arg. c. venientes 19. de Jurejur. Dominus antiquior, à quo Vasal-

Aaa 2

Vasal-

Vasallus jam prius aliquod feudum accepit *l. 2. feud. c. 28. fin.* Patria, & bona Vasalli propria, ejusque pater: cui non obstat, quod *c. 28. cit. jubeatur Vasallus Dominum adjuvare etiam contra patrem; nam ut Engln. 4. licet v. non tamē recte advertit, id intelligi congrē potest de parte non Vasalli, sed Domini, & quidem in eum casum tantum, quo Dominus patrem suum causa publica utilitatis, vel alia iusta causa impugnare potest, aut se contra ipsum defendere necesse habet. Ratio horum omnium est, quia his Vasallus arctiori vinculo ad fidelitatem obstringitur.*

14 *2.* Obligatur ad servitia, seu obsequia personalia: quae non semper aequalia sunt; crebrius autem sunt militaria, ita, ut Vasallus, debitè requisitus (in casu gravioris periculi tenetur ultrò venire per textum *l. 2. feud. tit. 26. §. 5. ¶. licet*) Dominum ad bellum sequi, & pro eo etiam proprijs sumptibus, si feudum pingue sit, pugnare, vel alium &quidem idoneum sui loco substituere, vel certè medianam partem fructuum feudalium illius anni domino pro continuo belli subministrare debeat *l. 2. feud. tit. 55. §. 1.* Sed hoc, si bellum sit justum; nam si injustum sit, Vasallus Domino servire non tenetur, nec debet, nisi tantum ad defensionem ejus, non verò ad offensionem injustam alterius. Si dubitetur, an justum sit bellum, vel injustum, servitia præstanta erunt; quia in dubio Superioris mandatum præsumitur esse justum.

15 *3.* Obligatur, ut re, in feudum concessa, tanquam diligens, & bonus Paterfamilias utatur fruatur, & siquæ damna ex dolore, vel culpa lata, & levi intulerit, compenset. Rosenthal de *feud. c. 10. concl. 45. n. 37.*

4. Si vel Dominus directus, vel persona Vasalli mutetur, petere intra annum, & diem renovationem Investituræ debet *l. 2. feud. tit. 40. pr. & tit. 58. pr. circa finem. Horn. Jurispr. feud. c. 17. per tot.*

Competit in hunc finem Domino directo, & ejus hæredibus actio personalis, bona fidei, rei persecutoria, & perpetua, contra Vasallum, & ejus hæredes. Clariss. P. Schmier *c. 2. de pac. & contr. n. 554.*

16 Dub. *3.* qualis Contractus fit Feudum? *¶. est Contractus consensualis, nominatus, & bona fidei.*

Dixi *1. esse Contractum consensualem.* Displieet quidem assertio ista non paucis, qui putant eum esse Contractum reale, & perfici traditione rei feudalism per Investituram. Sed persistendum in Assertione, quod Investitura non ad essentiam Contractus feudalism requiratur, sed ad complementum illius tantum, ad similitudinem Contractus Emphyteutici: unde sicut iste, ita etiam Contractus Feudalis solo partium inter se pacientium consensu perficitur, & actionem producit, quam primum in idem placitum con-

senserunt. Horn. Jurispr. feud. c. 12. §. 2. Clariss. P. Schmier *c. 2. de pac. & contr. n. 451. & 452.*

Dixi *2. esse Contractum nominatum.* In *17* quo contrarium defendit Magnific. D. Christoph. de Chlingensperg *c. 1. de feud. q. 11.* cum alijs, qui contendunt Feudum esse Contractum innominatum, quod feudum per se non denotet Contractum sine Investitura; Et confirmatur; quia alias etiam Permutatio foret contractus nominatus, quod negatum est Tit. præc. n. 2. Sed pro nostra Assertione militat communior Feudistarum, & aliorum DD. nominat Rosenthal de *feud. c. 1. concl. 3. n. 4.* Schrader. de *feud. p. 2. c. 2. n. 3.* Struv. de *feud. c. 8. aphor. 4. n. 2.* Haun. tom. 3. de *J. & J. tr. v. n. 583.* Clariss. P. Schmier *c. 2. cit. n. 453. & duob. seqq.* Ratio est, quia habet nomen specificum, proprium, & tale, quod prædicari potest de pluribus negotijs, solo numero philosophicè differentibus, & simul, antequam fiat traditio rei in Contractum deductæ, contra id, quod in Contractibus innominatis contingit. Actionem parit ad ipsam Investituram, quæ res feudalis traditur, consequendam, ut dictum est *n. 12.* Ad argumentum contrarium patet ex dictis *n. præc.* nam feudum non tam in ratione Contractus, quam in ratione Juris realis, & utilis dominij Investituram desiderat. Ad Conf. negatur paritas; quia Permutatio habet nomen nimis genericum, & Contractibus specie diversis applicabile.

Dixi *3. esse Contractum bone fidei.* Quod *18* negant Rosenthal de *feud. c. 1. concl. 5. n. 1. & seqq.* Schrader. *c. 2. cit. n. 4.* Haun. tr. 9. cit. 583. Magnific. D. Christoph. de Chlingensperg *q. 11. cit.* qui proinde Feudum ad Contractus stricti Juris revocant, ex ratione, quod Contractus feudalism ex consuetudine, quæ est Juris stricti, naturam suam participet. Sed nobiscum sentiunt Horn. Jurispr. feud. c. 12. §. 2. Struv. de *feud. c. 8. aphor. 4. num. 4.* Schamb. de *feud. tit. 1. n. 13.* Clariss. P. Schmier de *pac. & contr. c. 2. n. 456. & duob. seqq.* Rationem dant, quia Feudum est Contractus bilateralis, ut facetur ipse Schrader. *l. cit. n. 2.* arqui omnis Contractus bilateralis est bona fidei, ut laudatus P. Schmier *tr. cit. c. 1. n. 82. & seqq.* optimè ostendit ex eo, quod in his Contractibus sære quædam, antea improvisa, & incognita superveniant, ita, ut omnia, & singula in iisdem ab initio determinari nequeant: conf. potestate ampliorem Judici concedi decuit ad determinandum ex aequo, & bono ea, quæ determinata non sunt. Ad Argumentum partis adversæ Consuetudines feudales, quantum fieri potest, cum Jure communis sunt concordanzæ *l. 2. feud. tit. 1. pr. in fin.* igitur sicut hoc, ita & illæ ex aequo, & bono interpretationem recipiunt.

Quaritur *3.* quomodo Feudum differt ab alijs Contractibus? Et *1.* quidem du-

bida-

ditatur, quomodo differat ab Emphyteusi ?
2. Feudum cum Emphyteusi in multis convenit, in multis ab ea discrepat.

Conveniunt Feudum, & Emphyteusi
1. quod soleant praecipue constitui in im-
mobilibus. 2. quod soleant concedi in per-
petuum. 3. quod in utroque transferatur
dominium utile, & concedatur utilis rei vin-
dicationis. 4. quod alienarion possint inciso,
vel invito proprietario, ita tamen, ut bona
feudalia inter Vasallos, & Emphyteutica in-
ter Emphyteutas dividi possint, non requisi-
to domino. 5. quod tam Emphyteuta,
quam Vasallus possit servitutem praedio ac-
quirere, non autem servitute illud gravare.
6. quod sicut Emphyteuta Emphyteus in, ita
Vasallus feudum cedere Domino suo possint.
Quæ similitudo, ut bene advertit Haun-
ton, §. de J. & J. tr. 9. n. 587. facit, ut ab
uno ad alterum probabile fiat Argumentum,
quando casus non est expressè decisus in Lib-
ris feudalibus, & ratio eadem pro utroque
militat. **Probabile**, inquam, non convincens ; nam in pluribus

Differit Feudum ab Emphyteusi. 1. quia
Emphyteusi ex fine suo primario conceditur
ad culturam, & meliorationem, ut dictum
est Tit. 18. n. 89. feudum vero simpliciter.
2. in Emphyteusi debetur domino directo
annius Canon, seu pensio realis ; in feu-
do autem obsequium tantum personale. 3.
Vasallus non tenet obsequium praestare domi-
no, nisi iste hoc exigat ; Emphyteuta de-
bet pensionem solvere tempore constituto,
etiam si dominus solutionem non petat. 4.
Novus Emphyteuta non indiget investituram ;
hac indigent Successores Vasalli. 5. Emphy-
teuta non nisi ab ipso domino mitti in posses-
sionem potest l. cum dubitabatur 3. C. de Jur.
Emphyt. Vasallus investituram accipere po-
test per Procuratorem domini. 6. Vasallus
Investituram accipere debet coram testibus,
& presentibus Convasallis, seu Paribus Cu-
riæ ; Emphyteutam vero potest, ac debet
dominus propria autoritate suscipere vel per
se, vel per litteras. 7. Emphyteuta non
tenetur praestare domino Juramentum fide-
litatis ; hoc eidem tenetur praestare Vasallus.
8. in feudo nequit succedere fæmina, nisi sit
feudum fæmineum, vel nisi id expressè pa-
ctum fuerit ; potest succedere in Emphyteusi.
9. Vasallus dimittere feudum sine domini
voluntate potest, cum sit beneficium ; non
potest Emphyteuta rem Emphyteuticam,
quia accepit, ut reddat meliorem. 10. Em-
phyteuta non prohibetur de Jure suo in Te-
stamento disponere, illudque legare alteri ;
Vasallus istud non potest. 11. Emphyteuta
potest rem oppignorare, donare, vendere,
& quovis modo alienare, etiam in extra-
neum, domino consentiente, aut non vo-
lente emere ; id Vasallus in Feudo antiquo
non potest, nisi cum consensu agnitorum.
12. ob alias causas amittitur feudum ; ob
alias Emphyteusis.

Dub. 2. quomodo Feudum distingua- 22
tur ab Usufructu ? 1. etiam ab hoc in plu-
ribus differt. Nam 1. Feudum est jus in re
quodammodo propria ; Usufructus jus in
re aliena. 2. in feudo transfertur dominium
utile in Vasallum, non verò in Usufructu ad
Usufructuarium. 3. pro re feudali datur
Vasallo utilis rei vindicatio adversus quem-
cunque possessorem, etiam contra ipsum do-
minum, eam in præjudicium Vasalli detinen-
tem ; quæ actio non competit Usufructua-
rio, cum dominium in re non habeat. 4.
Usufructuarij jus cum persona extinguitur ;
feudum autem etiam ad hæredes transit. 5.
Usufructuarij jus ita personale est, ut alteri
cedi non possit, sed hoc ipso, quod Usu-
fructarius velit jus suum transferre in alium,
exspirat Usufructus, & ad dominum pro-
prietatis revertitur l. si usufructus 66. ff. de Jur.
dot. contrà Vasallus feudum acceptum alte-
ri locare, in modo per modum feudi conde-
re, & ita alium subinfeudare potest. 6. de-
nique feudum conceditur sub præstatione fi-
dei, & servitiorum ; non vero usufructus.
Struv. Synt. jur. feud. c. 2. aphor. 3. n. 3.
Giphian. Disp. feud. n. 12. Engl. hic n. 3. Mag-
nif. D. Christoph. de Chlingenperg defeud.
c. 1. q. 12. & alij passim.

Dub. 3. quomodo feudum differat à 22
Jure Superficiorio, Contractu Censuali, Li-
bellario, & cæteris contractibus ? 1. à
Jure Superficiorio differt, quia feudum con-
sistit in rei solo, conceditur sub conditione
fidei, & alienari nequit sine consensu domi-
ni : Contrà Jus superficiarium consistit in
Superficie, darur sub pensione, vel sine hac,
& in alienatione ejus consensus domini non
requiritur. Struv. c. 2. cit. aphor. 10. n. 12.
Schneidev. ad §. adeo n. 13. Inst. de locat.
§ conduct. Schrader. de feud. p. 2. c. 2. n. 57.
quos citat, & sequitur Magnif. D. Christoph.
de Chlingenperg l. cit. q. 14. 2. à **Contractu**
Censuali : quia in feudo transfertur tantum
dominium utile, & si Vasallus rem feuda-
lem, irrequisito domino, alienet, eam amittit ;
at in Contractu Censuali acquiritur do-
minium etiam directum, neque hoc amittit
ob alienationem, irrequisito domino,
factam. Schrader. l. cit. n. 59. 3. à **Con-
tractu Libellariorum** ; quia feudum non solet re-
vocari, non mutato possessore ; bona vero
per Contractum Libellarium concessa, re-
vocantur statim, certisque temporibus, data
certa pecuniâ, vel quam bonus vir arbitra-
tus fuerit secundum qualitatem rei in Libel-
larium data. Rittershus. Jur. Justin. p. 1. c.
8. n. 51. 4. à **Deposito**, & **Pignore** ; quia
in Deposito res solum datur ad custodiâ
in Pignore ad securitatem crediti. 5. à
Precarijs, **Commodato**, **Locato** ; quia in his
conceditur sola facultas utendi, aut etiam
fruendi. 6. à **Venditione**, **Permutatione**,
Mutuo, & **Donatione** ; quia per istas acquiri-

tur jus plenum, cùm per feudum transferatur tantum jus utile.

23 Quæritur 4. quotplex sit Feudum?
4. Feuda sunt diversissimi generis. Nam 1. dividitur Feudum; in *Proprium*, seu *Rectum*, & *Inproprium*, seu *Non rectum*. *Illiud* est, quod naturam feudi propriam, ejusque tam substantialia, quam naturalia, nullo Statuto, consuetudine, vel conventione immutata, retinet. *Illiud*, quod substantialia quidem feudi habet, in naturalibus tamen quibusdam deficit, quod ijsdem Statuto, consuetudine, conventione, seu pacto sit derogatum. Rosenthal de *feud.* c. 2. concl. 57. & seqq. Schrader. p. 2. c. 3. n. 1. & 2. Zöel. de *feud.* p. 2. n. 6. Engl. h. n. 6. König n. 5. *ibid.*

Porro ad naturam Feudi propriam, ut ex Definitione Feudi n. 8. allata pater, pertinet. 1. ut ex benevolentia Domini, super re immobili, pro hæreditibus masculis, per Investituram sit constitutum. 2. ut Vafalus vi illius obligetur ad fidelitatem, quam Juramento debet promittere, & ad obsequia personalia incerta. 3. ut dominum rei directum maneat penes Dominum, utile, & quidem in perpetuum transferatur ad Vafallum, à quo neque invito sine culpa auferri, neque sine Domini consensu alienari queat. 4. ut post mortem Vafalli, & Domini renovandum sit &c. Hæc requisita si habeat Feudum, dicitur *Proprium* seu *Rectum*; si autem deficit, erit *Inproprium*, seu *Non rectum*, & *Degenerans*, qualia sunt *Feudum Francum*, *Fæmineum* &c.

In dubio præsumitur potius esse Feudum proprium, quam improprium. Haun. tom. 3. de J. & J. tr. 9. n. 59. Excipitur, nisi conitet, Statuto, vel consuetudine aliquius loci aliqua esse immutata ex ijs, quæ alioquin solent esse ordinaria feudorum; nam eo casu, eti dubium sit, quæ mente Contractus feudal is celebratus, censebitur celebratus secundum tale statutum, vel consuetudinem, ut recte idem Haun. l. cit. notat, cons. pro improprio haberi debet.

24 Dividitur 2. in Feudum Nobile, & non Nobile. *Nobile* illud dicitur, quod accipientis personam nobilitati, vel sibi jam prius Nobilis fuit, talem esse ostendit, quia vel annexam Jurisdictionem habet, vel conferatur in Nobile ab eo, qui nobilitandi potestatem habet: hoc tamen exprimi in litteris Investitura debet; alias præsumetur esse Feudum commune, seu non nobile. Et hinc, licet ad substantiam feudi Scriptura non requiratur, quæ tamen feudum aliquod in Nobile accepit, curare debet, ut Scriptura de super fiat. *Non nobile* illud vocatur, quod non nobilitat, quia concessum est vel à persona, quæ nobilitandi potestatem non habet, vel si à tali concessum est, qui nobilitare potest, sine Nobilitatis mentione, sine Jurisdictione, vel alio simili jure concessum est. Vult. de *feud.* c. 8. n. 9. & seqq. Rosenthal c. 2. concl. 2. n. 9. König n. 6. Wiest. *ibid.* n. 11.

Nobile subdividitur in Regale, & Non Regale. *Regale*, Germanice *Gahnen*-oder *Scepter-Lehen* / quod Investitura, si Vafalus sit Secularis, vexillo; si Ecclesiasticus Sceptro fieri confueverit, illud nuncupatur, quod ab Imperatore, vel alio Superiori non recognoscente conceditur, & per quod datur investitu omnis potestas, & jus in terris ad feudum illud pertinentibus, quo in Imperio, vel Regno suo utitur Imperator, vel ejusmodi Princeps, exceptis duntaxatis, quæ huic in supremæ potestatis signum sunt reservata: & ejusmodi Feuda sunt in Imperio Romano Electoratus, Archiducatus, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, & hodierinis moribus Baronatus. *Zaf.* in *Epitom feud.* p. 5. n. 29. Rosenthal c. 2. cit. concl. 1. n. 4. Engl. h. n. 10. König n. 7. Clariss. P. Schmier. c. 2. de *paß*, & *contract.* n. 482. Magnif. D. Christoph. de Chlingenperg c. 2. de *feud.* q. 9. *Non Regale* est, quod conceditur ad domino Superiori recognoscente, vel ab Imperatore quidem, ut alio Principe Supremo, non tamen cum ejusmodi plena potestate, sicut communiter sit, quando in Feudum conceditur villa, pagus, prædiū &c. Vult. c. 8. cit. n. 10. Schrader. c. 3. n. 3. & 9. Haun. tom. 3. tr. 9. n. 608. Wiest. n. 12. hic cum citt.

Dividitur 3. in Feudum novum, & *vetus*. *Feudum novum* est, quod initium habet à persona Vafalli, quia ad hunc beneficio solius domini, & non ex successione pervenit. *Vetus*, quod per successionem ab uno ex ascendentibus ad eum est devolutum. *Poterius* istud quidam subdividunt in *Paternum*, & *Avitum*, seu simpliciter *antiquum*. *Paternum* dicunt, quod originem trahit à persona, quæ intra quartum gradum Vafallo conjuncta est, qualis est Pater, Avis, Proayus, Abavus ejusdem. *Avitum*, sive *simplicer antiquum*, quod acquisitum est ab aliquo majorum, supra quartum gradum conjuncto, videlicet Atavo, Tritavo &c. Verum hæc subdivisio, ut optimè notant Rosenthal de *feud.* c. 2. concl. 9. 10. 11. & 12. Vult. l. 1. c. 8. n. 12. Struv. c. 3. apor. 2. n. 5. Horn. *Jurispr. feud.* c. 3. §. 7. Clariss. P. Schmier c. 2. de *Paß*, & *Contract.* n. 486, non est Legalis, cum moderno more, & effectibus spectatis, inter Feudum Paternum, & simpliciter antiquum vix sit ullum dilicimen: quæ causa RR. commovit, ut inter se illa, discriminis sublato, confunderent.

Inter Feudum novum, & *vetus* triplex admodum notabile discrimen interjacet. 1. enim Feudum *vetus* alienari non potest, etiam cum consensu domini, si non etiam consensu agnitorum accedat; contra Feudum novum ut alienari possit, solius domini consensu sufficit. Mynsing. cent. 4. obs. 85. n. 1. Magnif. D. Christoph. de Chlingenperg. de *feud.* c. 2. q. 1. Clariss. P. Schmier c. 2. de *Paß*, & *Contract.* n. 487, cum alijs. si

2. si feudum sit Novum, & Vasallus illud renuntiet, vel sine consensu domini alienet, ad dominum illud revertitur; si autem antiquum sit, ad descendentes, & reliquos agnatos devolvitur; quia his in tali feudo ex antiquis Investituris quæsumum jus est, cui Vasallus prejudicare non potuit l. 1. feud. tit. 8. §. 1. Gail. l. 2. obs. 50. n. 11. Haun. tom. 3. tr. 9. n. 599. 3. in Feudo novo succedunt soli filii, & ex his descendentes, non verò Collaterales, si filii, & nepotes in linea recta deficiant; in Feudo antiquo autem, si Vasallus sine liberis, & ab his descendantibus sit defunctus, ad successionem etiam admittuntur Collaterales, dummodo à primo acquirent descendant l. 1. feud. tit. 1. §. 2. Haun. l. cit. n. 596. König hic n. 8.

28 Porro licet Feudum vetus sine consensu agnatorum non possit concedi ut Novum; quia tali innovatione agnatis præjudicaretur: potest tamen Feudum novum concedi cum jure Feudi antiqui, & tanquam antiquum, cum quilibet, ubi alteri nullum sit præjudicium, in re sua sit moderator, & arbitrus l. in re mandata 21. C. mandat. & Contractus ex conventione Legem accipiunt Reg. 85. in. 6. atqui per hujusmodi concessionem nemini sit præjudicium, sed potius agnatorum conditio melioratur, ut nempe etiam succedant Collaterales, qui alias secundum dicta n. prec. fuissent exclusi, si jure Feudi novi fuissent concessum. ergo &c.

29 Dividitur 4. in Feudum Ligium, & Non ligium. Ligium, sic dictum à Liga, seu Ligando, est, quod conceditur ab aliquo Superiori in temporalibus non recognoscere, & eo pacto, ut juramento promittat fidelitatem adversus quemcumque, nemine excepto, subjiciendo se, & Allodialia sua bona omnia potestati, & Jurisdictioni illius l. 2. feud. tit. 99. pr. Clar. §. feudum q. 11. n. 1. Rosenthal c. 2. concl. 3. dn. 2. Haun. tom. 3. tr. 9. n. 620. Engl hic n. 11. König n. 10. Wiest. n. 13. Juramentum summae hujus fidelitatis speciali nomine Homagium appellatur, & jurans se hominem alterius facere dicitur: & ita Clem. Pastorale 2. de re judic. Rex Siciliae dicitur Homo ligius Ecclesiæ Romane. Ex quo Clar. l. cit. n. 2. Rosenthal concl. 3. §. 4. Horn. c. 3. §. 23. Haun. n. 621, cum ceteris supra citt. deducunt, neminem posse à duobus summis Principibus, v. g. ab Imperatore, & Rege Gallie feuda Ligia simul obtinere; cum enim contingere possit, ut hi duo bella secum invicem gerant, sicut defacto gerunt, talia feuda obtinens obligaretur simul & semel militare pro Imperatore contra Gallæ Regem, & pro hoc contra Imperatorem: quod fieri non potest juxta pronuntiatum Christi: *Nemo potest duobus dominis servire*, Matth. 6. v. 24.

30 Feudum non ligium dicitur, quo Vasallus ita fidelitatem prestat uni adversus alios, ut tamen alteri etiam domino fide-

litatem adversus alios spondeat l. 2. feud. tit. 99. Talia feuda sunt, quæ Vasallus obtinet à domino Superiori recognoscere; semper enim huic fidelitatem sic jurat, ut exceptus censeatur Imperator, Rex, antiquior dominus, à quo Feudum aliud habet, l. 2. feud. tit. 28. §. tit. 55. utrobique in fine. Ex quo sequitur Feuda non ligia simul à diversis eidem Vasallo posse competere; cum nihil inter se pugnans habeat. Et hoc procedit, etiamsi, unum vel utrumque datum sit à supremo, vel duobus Supremis Principibus; non enim omne feudum, quod à Supremis Principibus datur, Ligium est, sed expresse id exprimi vel in Investitura, vel in Juramento fidelitatis debet: aliás præsumetur esse non Ligium; quia qualitas Ligij est supra naturam communem feudi, ideoque à speciali conventione dependens, & facti, quod in dubio non præsumitur. Joan. Koppen Jur. feud. obs. 2. n. 35. Engl hic n. 11. §. Romanus, König ibid. n. 10.

Feudi non Ligij species Feudo Ligio 31
extremè opposita, est Feudum Francum, seu Liberum, Germanicè ein Frey-Lehen / sic appellatum, quod eius ratione Vasallus non obligetur ad ullum servitium, sed tantum ad fidelitatem prestandam domino. Rosenthal c. 2. concl. 59. n. 3. Vult. de feud. l. 1. c. 8. n. 50. Borcholt. c. 4. n. 20. § 32. Schrader. c. 4. n. 8. Haun. tom. 3. tr. 9. n. 622. Engl hic n. 6. König n. 13. Wiest. n. 13. Sunt autem hujusmodi Feuda Franca, teste Schrader. l. cit. in Germania nostra valde usitata, præsertim quæ Civibus conceduntur, cum hi ad ullum servitium ratione feudorum suorum dominis exhibendum ferè non obligentur.

Dividitur 5. in Feudum Ecclesiasticum, & Sæculare. Ecclesiasticum, si strictè istud sumatur, illud est, quod ab Ecclesia, sive ejus Prælato de bonis, ad Ecclesiam, vel Monasterium &c. pertinentibus constituitur. Bocer. tr. de qualit. § differ. feud. c. 2. Vult. l. 1. c. 8. n. 19. König hic n. 9. Sæculare, quod constituitur à Principe, vel alio domino seculari, aut etiam à Prælato Ecclesiastico de bonis patrimonialibus ejusdem. Rosenthal. c. 2. concl. 5. Fagn. in c. verum 7. de for. compet. n. 29. König hic n. 9. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg c. 20. cit. q. 6.

Et hinc, ut sciat, Ecclesiasticum, an 32
Sæculare sit Feudum, attendi debet non persona domini concedentis, neque persona ejus, cui illud conceditur, sed bona, sive res immobilia, aut ei adhærens, vel æquipollens concessa in feudum; nam etiam Feudum Ecclesiastico, vel Ecclesiæ concessum à domino Laico, si strictè accipiat Feudi Ecclesiastici nomen, pro Sæculari habendum est, ut rectè observat Engl hic n. 9. Wiest. n. 12. Eftalia feuda sunt Territoria illa specialia, quæ multi Episcopi, & Prælati in feudum sibi concessa

ab Imperatoribus habent; nam respectu illorum considerantur, ut Vasalli ceteri sacerdotes, & ut Principes, ac Status Imperij: unde & Jus gladij, quod utique tanquam Ecclesiasticis alias ipsis nequaquam competit, aliisque Jura exercere possunt, ut bene

³⁴ Gail. l. 1. obs. 30. n. 4. & seqq.

Dixi autem, si stricte accipiatur nomen Feudi Ecclesiastici; nam aliquando Feudum Ecclesiasticum accipitur largius pro eo etiam, quod Ecclesia per suos Prelatos ab aliis, etiam Sacerdotibus, tenet, & cognoscit, ut cum aliis nota Haun. tom. 3. tr. 9. n. 610. quod etiam ipsum specialiter præ simpliciter Laico privilegium sit, quamvis non eo modo, quo Feudum strictè Ecclesiasticum. Privilegium Feudi strictè Ecclesiastici, seu ab Ecclesia dati est, quod coram quibusunque testibus concedi possit, cum ex adverso in Feudo seculari, ut n. 20. suprà dixi, Investitura, non nisi coram Paribus Curia, seu Convallis, ab eodem domino feudum habentibus, fieri, nec per alios testes facta probari queat. Feudi Ecclesiastici latius sumpti, seu ab Ecclesia accepti privilegium est, quod propter delictum, & infidelitatem Episcopi, vel Abbatis amittatur quidem, & ad dominum redeat, quamdiu delinquentis in Praelatura manet, verum eo mortuo, aut deposito, Successori illius sit restituendum, cum delictum Praepati non debeat nocere Successori, vel ipsi Ecclesiae l. 2. feud. tit. 40. §. item 5, c. delictum 76. de R. J. in 6. Engl. bic n. 48. König n. 9. Clariss. P. Schmier tr. de Paß. & Contrat. c. 2. n. 498. & dicam infra

³⁵ §. 5.

Dividitur 6. in Feudum Masculinum, & Femininum. *Masculinum*, vulgo ein Manns-Lehen / est, quod ad mares duntur transit. *Femininum*, quod etiam ad feminas, saltem masculis deficientibus: hinc vulgo *Weiber- oder Gundel-Lehen* vocatur. Porro Femininum fit ex duplice capite, vel quia à femina primùm est acquisitum, vel quia eo pacto acquisitum est, ut etiam ad feminas transeat. Si primo ex capite Femininum fit factum, *Maternum* dicitur. Et sufficit, à femina originem ducre, etiamsi expressè illud actum non sit, ut ex communi aliorum sensu tradunt Rosenthal c. 7. concl. 25. n. 2. Schrader. p. 2. c. 4. n. 11. Magnif. D. Christoph. de Chlingen-sperg. c. 2. de feud. q. 15. P. Wiest. bic n. 14. quod initium inscindendum sit, & à primordio tituli posterior formetur eventus l. si procuratorem 8. princ. ff. mandat. cum dominus dans feudum feminam eam ad successiōnem habilitare videatur. *Excipitur*, nisi expressè id actum sit, ut feudum primitus concessum feminæ sit masculinum; nam actus agentium ex intentione illorum legem accipiunt.

³⁶ Revocant hoc aliqui Feudum quodam Mixtum, h. e. partim Masculinum, par-

tim femininum quod conceditur marito, & uxori: quo casu si fortè superites esset sola filia, feudum pro dimidia tantum parte ad filiam, pro altera vero ad dominum pertinet, cui, quā masculum, esset apertum. Sed, ut bene notat Haun. tom. 3. de J. & J. tr. 9. n. 623. hujus speciei communiter DD. non meminerunt. Alij solum unum caput agnoscent, ex quo feudum femininum sit, sc. si à femina tanquam prima acquirente originem trahat; nam illa feuda, in quibus tam mares, quām feminæ possunt succedere, si primus acquires sit mas, Hæreditaria volunt appellari. Verum hæc doctrina, quatenus significare vult omne feudum hæreditarium etiam feminine esse, vera non est, cū constet hæreditaria aliqua esse, quā solis masculis hæredibus deferuntur, ut mox dicetur.

Dividitur 7. in Feudum Hæreditarium, Gentilium, & Mixtum. *Hæreditarium*, vulgo Erb = Lehen / propriè illud dicitur, quod alicui simpliciter, & absolute concessum est pro se, & quibusunque eius hæredibus, etiam extraneis: unde ad istud obtinendum sufficit, ut quis sit hæres. Clar. §. feudum q. 9. n. 2. Fach. l. 7. contr. c. 6. Engl. bic n. 8. Pith. n. 3. König n. 11. Wiest. n. 19. *Gentilium*, quod etiam ex pacto, & providentia, vulgo *Stamm- Lehen* nuncupatur, illud est, quod aliquis pro se, & filii, seu liberis, nulla hæredum facta mentione, obtinuit: ut istud quis consequatur, & in eo succedit, satis est, si sit filius, vel descendens à primo acquirente, etiam hæres non sit. Clar. l. cit. n. 3. cum reliquis suprà. *Mixtum* est, quod neque simpliciter hæreditarium est, neque simpliciter ex pacto, & providentia, sed participat de utroque, quia alicui concessum est pro se, & filii suis hæredibus: & hinc, ut in tali feudo quis succedat, requiritur, ut simul sit filius, & hæres, adeoque, ut in eo simul sanguinis, & hæreditatis jura concurrant. Clar. l. cit. n. 4. cum ceteris.

In dubio presumitur potius esse ex pacto, & providentia, quām Hæreditarium, ut cum Vult. Mynsing. Schradero advertit Magnif. D. Christoph. de Chlingen-sperg de Feud. c. 2. q. 14. ex ratione. 1. quia in dubio presumitur, quod est de propria rei natura. sed feudum ex pacto & providentia magis servat naturam propriam feudi, quām Hæreditarium. 2. Pacta sunt facti, & non presumuntur, atqui feudum hæreditarium non constitutur, nisi speciali pacto, in Investitura expresso, id actum fuerit arg. tit. 48. libr. 2. feud. 3. contrahentes in dubio censentur se conformare voluisse dispositioni Juris communis c. cum dilectus 8. de consuet. atqui juris Feudalis autoritate feudum pertinet ad descendentes sine qualitate hæreditaria, adeoque potius ex pacto, & providentia, quām Hæreditarium est ergo &c.

Divi-

39. Dividitur 8. in Feudum perpetuum, & Temporale. **Perpetuum** est, quod ad descendentes, vel etiam hæredes transmittitur. **Temporale**, quod personam, cui confertur, non transit, sed tamdiu deintaxat durat, quamdiu officium, cuius intuitu constituitur, durat. Tale est 1. **Feudum Guardie**, quod illi, cui custodia Civitatis, Oppidi, Castrorum &c. commissa est, pro opera, solertia, & labore suo conceditur. 2. **Feudum Castaldie**, quod Dux, Comes, Episcopus, vel alius Dominus Ecclesiasticus, vel Secularis concedit Doctori pro patrocino, five consilio, Gubernatori domus pro administratione rei Oeconomicæ. 3. **Feudum Cancellarie**, quod conceditur Cancellario pro functionibus sui muneri. Quo revocant **Feudum Advocacie**, **Vogten-Lehen** / & cuiuscunq; Officij publici Jure Feudi collati.

40. Dividitur 9. in Feudum Cameræ, Feudum Cavenæ, & Feudum Soldare. **Feudum Cameræ**, **Camer-Lehen** / datur tunc, quando Princeps, vel alius cuidam concedit certam pecunia summam, percipiendam ex Camera concedentis. **Feudum Cavenæ**, **Kuchel- oder Keller-Lehen** / quando ex Cavena, id est, Cella, vel norreo Principis, vel alterius concedentis in Feudum datur in annos singulos certa quantitas frumenti, aut vini. Quodsi concessio hæc ex Camera, vel **Cavena** nec ex parte dantis, nec ex parte accipientis transeat ad hæredem, sed morte vel dantis, vel accipientis finiatur, dicitur **Feudum Soldate**. **Concessio Pecunia**, ut vo-

cant, **Gratiose**, **Gnaden-Gest** / quæ à Principibus, vel Republ. concedi solet Officiis emeritis, ac eorum viduis, & pupillis, non est Feudum; quia datur ob merita præterita, & non propter obsequia præstanta, prout in Feudo requiritur.

Præter divisiones hæc tenus relatas, adhuc aliae Feudorum supersunt Species: quale est 1. **Feudum Aulicum**, **Hof-Lehen** / quo Vasallus obligatur ad aulicum quoddam Officium Dapiferi, Mareschalli &c. 2. **Feudum Castrense**, **Burg-Lehen** / quod conceditur ex pacto, ut Vasallus teneatur ad defendendum certum Castrum. 3. **Feudum Pignoratum**, **Pfand-Lehen** / quod conceditur pro certa pecunia, ut a Domino reddimi possit. 4. **Feudum Aperture**, **Die Deffnung** / quod conceditur ea iegé, ut Vasallus loco servitiorum tempore belli, aut pacis arcem, vel civitatem domino aperire debeat. 5. **Feudum Equestre**, **Ritter-Lehen** / quod consistit in præstans servitio equestribus, & in horum recognitionem Domino feudi pro Relevio præstantur arma Equestria **eis Schieß-Zeig**. 6. **Feudum Buraticum**, **Bett-Lehen** / quod nulla præstat servitia alia, nisi ut in mutationibus solvatur Relevium ex burfa, quod de Jure Bavaroico sunt 5. floreni pro 120. Illustr. D. Baro Schmid ad Statut. Bav. tit. 11. art. 4. n. 1. 7. **Feudum non-jurabile**, quando in Investitura remittitur Juramentum. Plura de his Feudiæ: nobis terminos explicasse sufficiat.

S.

II.

De Objecto Feudi, & Personis, quæ constituere Feudum possunt.

SUMMARIUM.

42. 43. Quenam res concedi in Feudum possint?
44. An Feudum constitui possit in re aliena?
45. An res solo adhaerentes in feudum dari possint, excluso solo?
46. An investitus de silva etiam jus venandi habeat?
47. An Castro in feudum dato, etiam Territorium censetur datum in Feudum?
48. An concessio in feudum Territorio, transeat etiam Jurisdictio Territorialis?
49. An in feudum dare res suas possint etiam plebei?
50. Deciditur pro affirmativa.
51. Rationes dubitandi solvuntur.
52. 53. An res suas in feudum dare possint Minorores?
54. An filius familiæ?
55. An Imperator bona ad Imperium immediatè spectantia?
56. Clerici feudum constituere possunt in bonis suis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus.
57. In bonis Ecclesiistarum temporalibus, non nullum solemnitate.
58. Excipiuntur res modice, & ab Ecclesia infeudari solite.
59. Quenam talia censi debeat?
60. Casus, quibus nec ista sine solemnitatibus re-infeudari possunt.
61. Quid circa reinfeudationem possit Capitulum, Sede vacante?
62. 63. Quomodo reinfeudatio fieri debeat?
64. An Prelatus infeudationem rei feudalis promittere in casum apertioonis possit?
65. Deciditur pro Affirmativa.
66. Rationes dubitandi solvuntur.
67. Utrum tali promissione stare debeat Successor?
68. Saltem casu, quo promissio facta est cum consensu Capituli?
69. An promissio Investiture in casum apertioonis fieri possit etiam casu, quo possessio feudi liberos habet?
70. An possit aliquis sibi ipsi in re sua constitue-re feudum?

Bbb

Quærl